

ACTA
IN COMITIIS
PROVINCIALIBVS
ORDINIS MIN. CON.

S. FRAN. PROVINCIAE LEODIEN.

DIONANTI 2. FEB. 1619. CELEBRATIS.

Præsidente R.^{mo} Patre Magistro Iacobo Bagna caballēsi,
totius Ordinis prædicti Ministro Generali,
eiusque, & Patrum iussu edita.



LEODII,

Typis Christiani Ouwerx iunioris propè sanctum
Dionysium, sub signo Patientiæ.
Anno M. DC. XIX.

Acta in Capitulo Prouinciali Prouinciae Leodiensis Dionanti
celebrato, sub Patrocinijs sanctissimae Matris Dei, &
sancti Patris Francisci. Die 2. Februarij 1619.

Præsidente R.^{mo} Patre Magistro Iacobo Bagnacaballèsi,
Ordinis Min. Con. sancti Francisci
Ministro Generali.

Diffinitoribus admodum RR. PP.

Diffinitoribus perpetuis.

Patre Magistro Ludouico à Castro, Prouinciali actuali, & Electo.
Patre Magistro Matheo Veglensi, Prouinciali sancti Bonauenturae, &
assistente Reuerendissimi.

Diffinitoribus temporaneis.

Patre Nicolao D'ozo Prouinciae Secretario.
Patre Magistro Ioanne à Riuo.
Patre Aegidio ab Ora.
Patre Nicolao à Riuo.
Patre Perpetuo Fabio.
Patre Bernardino Iehenneaux.
Patre Georgio à Giueto.
Patre Huberto de Laitrè.

F. Ioannes Felix de Brixia à Secretis.



T. J. Christen
Dionysius
Anno M. DC. XIX.

IESVS MARIA.

Pax Christi

FRATER IACOBVS HVMILIS OMNIUM

VESTRVM SERVVS, AC MINISTER

Generalis indignus, Patribus & Fratribus Pro-

uinciæ Leodiensis salutem, & veræ

pacis augmentum à Do-

mino precatur.



VM ad has extremas Europæ provincias Diuinâ aspirante gratia incolumis peruenerim, fateor, Fratres charissimi, haud mediocri me perfundi lætitia, eo quod ex præteritorum temporum calamitatibus, & iniurijs, paucula quædam Ordinis nostri reliquæ in hac Leodiensi prouincia collectæ inueniantur; sicque conseruentur, vt Fratres omnes regularis disciplinæ studium præferentes, Ordinis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ fidei propagationem in his regionibus contra nefarios conatus, & impias Hæreticorum coniurationes desiderare, & procurare non desinant. Quibus etiam vt ego Comitia prouincialia indicturus animum addam, libèter Saluatoris nostri verba vsurpabo: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Quamquam enim patrum huius prouinciæ numerus sit pusillus, nihil tamen est ei pertimescendum, & incèpta boni studia non sunt derelinquenda. Nam si vnusquisque in vinea Domini iuxta vocationem elaborare non detrectauerit, si omnes fratres charissimi charitatis vincula colligati, sancti patris Francisci stu-

27
dia imitantes, morum vitæque probitate, ac sana Catholica fidei doctrina, & zelo contra hostes sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vti ex regulæ nostræ præscripto, peculiare quoddam, & excellentius præ cæteris fidelibus, ac regularibus obedientiæ, & seruitutis obsequium præstare debemus, fortiter pugnaveritis, de victoria quidem nullatenus erit dubitandum; imò certâ regni coelestis potiundi spem concipere possitis: Neque verò hostium multitudo, aut insurgentium difficultatū impedimenta, vos ab opere auertere debent. Si enim antiqui illi Romani milites, hic, & alibi nullum corporis laborem, aut vitæ discrimen subterfugerunt, vt corruptibilis laureæ, vel graminæ coronæ honorem assequerentur, quātō nos fortius agere, quantoque maiora pati debemus, cum excellentissima præmia, & in æternum cum summa facilitate duratura nobis à Domino promittantur. Hoc annuit sanctus Paulus in futuræ Dominicæ lectionibus, inquiens, omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, & illi quidem, vt corruptibilem gloriam accipiant, nos verò incorruptam. Hac doctrina planè imbutus sanctus pater Franciscus fratres suos sic alloquebatur: Magna promissimus, maiora promissa sunt nobis; seruemus hæc, suspiremus ad illa, voluptas brevis, poena perpetua: modica passio, gloria infinita, multorum vocatio, paucorum electio; omnium tandem retributio. De hac verò retributione seruis suis, & præcipue Religiosis votorum emissionis obstrictis, Dominus in Apocalypsi loquens ait: Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ, quam sanè fidelitatem, & perseuerantiam non modo in diuinorum præceptorum custodia, sed etiam in emissorum votorum obseruatione, omnia nostra opera ad extremum usque vitæ spiritum præferre debent. Non enim ad coronam capiendam bonam voluntatem habere, vel sapius sancta proposita facere sufficit, sed qui usque in finem perseuerauerit, hic saluus erit, ob idque in futuris Comitijs summopere cupio, vt omnia sic emendentur, & componantur in hac prouincia, vt Ordo noster, ex quo tanquam ex fecundissimo seminario tot sancti martyres, & insignes doctores, qui Catholicæ fidei veritatem sanguine, & doctrina defenderunt, prodire, sancti patris Francisci meritis, in his regionibus vbi tam impie Catholica religio oppugnatur, instar columnæ & firmissimi propugnaculi contra Hæreticorum superbiam existat. Fax it autem D. Opt. Max. vt quemadmodū mihi hæc ad vos scribenti illa Esaia verba in mentem veniūt. A finibus terræ laudes audiuius gloriam iusti; sic ex nostra religione, & præcipue ex hac Prouincia viros

viros insignes & verè Apostolicos prodijisse omnes audiant, quorum doctrina & exemplo Deo fauente, non modo finitiorum Hæreticorum mentes illustrentur, verum etiam Maris Oceani Insulæ, & littora, quorum incolæ tam longè à veræ fidei tramite aberrant, ad sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ vnitatem reducantur, vt cum eodem Propheta Dei omnipotentiam & misericordiam laudantes canere possimus. Hi leuabunt vocem suam, & laudabunt eum glorificatus fuerit Dominus, hincient de mari, propter hoc in doctrinis glorificate Deû, in Insulis maris nomē Domini Dei Israël, à sinibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti, Caperemq; summoperè, vt sicut ex nonnullorū sententia hæc nobilissima Ciuitas, olim Eburonum Caput, à profligata Romanorum Colonia Leodium dicta fuit, ita fratres mei Leodienses, ab Hæreticorum prostratis viribus, eorumq; contra Deum, & Ecclesiam Romanam, deletis coniurationibus præclarum aliquod ob singularem Catholicæ fidei defensionem, nomen sibi vindicarent, vt hac Prouincia, doctrina, & sanctitate firmata, atq; instar terribilis acies contra hæreses effecta, inclitā hanc Leodiensem Ciuitatem iuxta veriolem, & nobiliorem Etymologiam Leodium dici, & nominari omnibus innotescat, eoquod illius Ciues, Religiosiq; inhabitantes, præcipuè Franciscani Omnip. Deo laudes assiduè dent, & in Hymnis, Psalmis, Orationibus, exercitationibusq; spiritualibus diu noctuque versantes, proximorum animas, hæreticæ prauitatis labe infectas, ab inferni faucibus eruere studeant. Quod si satanicæ iniquitatis Ministri, populorumq; deceptores falsis dogmatibus educere, ac perdere tantoperè laborant, modoque in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christū eius, ex pluribus Babilonicæ confusionis, & ignorantiæ partibus congregati de regni diuini impossibili vnione, de præsentioribus ad animarum mortem venenis parandis, de callidioribus ad Ciuitates, & Regna perdenda insidijs struendis, de Christi Saluatoris Ecclesiæ, & regno subuertendo noua, & pestilentiora consilia inuent, & excogitant, quantò libentius & feruentius, nos vera Dei, & proximi charitate instructi, ad Comitia Dionanti proximè habenda conuenire debemus, vt ea statuta, & decreta conspiciamus, ex quorū obseruatione, non modo prouincia tota, & Fratres oēs ad meliorem frugem reducantur, verum etiam, vt quantū in nobis est ad Catholicæ fidei defensionem, & propagationem omnium animarum salutis consulamus, & per opera nostra magis, ac magis benedictus Deus glorificetur. Illi sanè gens absq; consilio sunt, sine fide, sine capite sola iniquitate

22
quitate ducti, nullum alium iudicem præter voluntatem propriam
admittunt: Nos ^Uo maiorum nostrorum consilia, & studia sectantes,
fidem Catholicam, in qua nati, & educati sumus, fortiter teneamus,
Pontificem verum Christi Domini in terris vicarium, & legitimum
Petri successorem agnoscamus, & fraterna charitate ducti in vnum
conuenientes, omnia, & singula, quæ à sacro Con. Trident. & à decre-
tis Pontificijs de regulari disciplina, ac de vita communi instituenda
præscribuntur, non modo perficere, & obseruare, verum etiam forti
& constanti animo præditi tanquam boni Christi milites, & seraphi-
ci instituti sectatores, pro gloria Dei, & animarum salute, vitam &
sanguinem ipsum, si Deo libuerit, libētissimè profundere statuamus;
adeo vt nulla tribulatio, aut angustia, nulla fames aut nuditas, nullū
periculum, aut persecutio, nec gladius vnquam à charitate Christi,
& eius Ecclesiæ nos separare queant. Quod facile assequimini, Fra-
tres Charissimi, si vnusquisque iuxta Apostoli doctrinam, cuius hodie
conuersionis diem colimus, in omnibus bonorū operum exemplū se
præbuerit in doctrina, & integritate, in grauitate, verbum sanū, irre-
prehensibile, vt is, qui ex aduerso est vereatur nihil mali habens dicere
de nobis vix enim verbis assequi possumus: quot, & quanta bona, ex de-
centi vitæ, & morum Religiosorum compositione proueniant; si
enim regulares iuxta emissam professionem vixerint, si in omnibus
verè Apostolicos se præbuerint, Hæreticorum linguas conticescere,
eorum leonina ora obstruui, nec non Catholicam fidem per totam
Germaniam iterum propagari necesse est. Hoc nobis suadet Aposto-
lus inquiens, nolite confirmari huic sæculo, sed reformamini in no-
uitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit volūtas Dei beneplacens, & q̃
perfecta. Hoc ego à vobis peto, hoc aduentus, & visitatio mea à sin-
gulis exoptulat. Quanquam enim hæc prouincia; si cæteris Ordinis
nostri prouincijs comparetur, paucos Conuentus, & haud multos
fratres contineat, supplex tamen Dominum Deum oro, atq̃ue semper
orabo, vt eam, eiusque fratres in perfectos religiosos, & in Catholicę
fidei propugnaculum in his partibus euadere faciat. Quamobrem in
futuris Comitijs, Iudæ machabei prudentiam, & pietatem imitari stu-
deamus, qui de summi Dei cultu, ac de sacrificijs reparandis cogitans,
habemus in sacris litteris. Elegit Sacerdotes sine macula habentes
voluntatem in lege Domini. Nos quoque in actionibus Capitulari-
bus rerum humanarum affectu, & cura postposita vni Deo, & sanctę
reformationi studeamus, ac si in prouinciæ ad maiorem Dei gloriam
collapsam

collapsam disciplinam restitui cupimus, omni studio, & diligentia
danda nobis opera est, ut is in Ministerium Prouinciæ em eligatur, qui
in lege Domini voluntatē habens, doctrina & exemplo omnibus pro-
desse, ordinisq; exestimationem sustinere possit. Iam verò, ut clarius
ad ea quæ in hac Prouincia modo sunt peragenda deueniamus, omni-
bus, & singulis huius Prouinciæ Leodiensis Ordinis nostri Vocalibus,
seu Electoribus, omni meliori modo, & forma. Adicitur Capitulum
Prouinciale Dionati die 2 Februarij, quæ erit dies Purificationis san-
ctæ Matris Dei anni 1619. celebrandum; ad hoc ut nouus Minister,
præsentis tamē prouincialis triennalis ministerij seruatis viribus eli-
gatur, aliaque iuxta Conuentuum, & temporum rationes, & statuta de-
cernantur. Præcipitur igitur omnibus, & singulis prædictis ad meri-
tum salutaris obedientiæ, ut feria quinta hebdomadæ Capituli, quæ
erit vltima huius mensis, Dionanti adesse contendant. Electorum ve-
rò nomine potiuntur, & gaudent diffinitores tam perpetui, tum tem-
poranei, Custodes, Guardiani, & Magistri, & Discreti. Discreti eli-
gantur per secreta suffragia, sint bonæ frugis, timentes Deum, & in
sacris constituti, quiq; saltem per sex menses in Conuentibus, de qui-
bus referre debuerint, sint commorati: præter electionis. litteras te-
stimoniales, statum quoque & rationes Conuentus secum deferre iu-
bentur, Fratres verò qui non sunt vocales, domi se contineant, & hu-
militer Deum precentur, ut in Comitijis ea solum peragantur, quæ ma-
gis ad Dei gloriam, & Prouinciæ reformationē conferre visa fuerint;
ob id in sabatho Electiōis sanctissimæ Eucharistiæ expositione trium
horarum precationem instituant, ut Deus mentes nostras dirigere, &
illuminare dignetur. Quod id facilius assequamur, vnusquisq; consci-
entiam suam ab omni peccati labe purgare studeat, ob idq; omnibus
uenturis, & non venturis ad Capitulum datur facultas, ut pro hac vice
dumtaxat à Casibus superioribus Ordinis reservatis, nec nō à Censu-
ris & Irregularitatibus quatenus ratione officij concedere possum, in
foro conscientie absoluti possint. Deus Opt. Max. meritis, & inter-
cessione sanctissimæ Matris Mariæ, quæ cum esset mundissima, legi ta-
men parere voluit, omnium donorum benedictionem vobis impertire,
foelicissimumq; iter euntibus, & redeuntibus concedere dignetur, &
omnes actiones Capitulares, & mentis nostræ ad Virginis filium, ip-
samque Virginem magis, ac magis laudandam dirigantur.

Perlegantur.

22
Perlegantur publicè in singulis Prouinciæ Conuentibus hæc litterę
pastorales vt Fratres tempestiuè moniti de agendis maturius in Domi-
no statuere possint, Datum Leodij die 15. Ianuarij 1619.

*F. Jacobus Bagnacaballensis
Minist. Generalis.*



Præmissis vero consuetis ritibus & cerimonijs de suffragiorum approbatione indicta fuêr. Capituli Generalis Decreta, de reformanda Ministri Prouincialis potestate : quæ integra habentur in actis Prouinciæ Argentoratensis Colonia nuper impressis. Subinde Reuerēdis. prælegit Decreta Clem. VIII. scilicet. de Officialium electione. Omnesque Electores manu admota, pectori iurârunt de probiore, & apiore eligendo.

Electio Ministri Prouincialis

Præmissis igitur & alijs præmittendis ritè peractis, Reuerendiss. Pater Generalis quo ad vocem passiuam dispensauit, matura adhibita consideratione cum admodum Reuerendo Patre Magistro Ludouico à Castro Prouinciali Actuali, deinde ad electionem ventū est; atque summo omnium consensu electus fuit in Prouincialem Ministrum huius Prouinciæ Leodiensis admodum R. Pater Ma. Ludouicus à Castro prædictus; præsidente in eadem electione Reuerēdissimo P. Magistro Iacobo Bagnacaballési totius Ordinis Ministro Generali, qui nemine Electorum cōtradicante, sed omnibus approbātibus prædictam electionem ratam, & canonicè factam, necnon admodū Reu. Patrem Magistrū Ludouicum ritè electum declarauit. Qui postea ad Ecclesiam processionaliter Patribus Deo gratias, & laudes persoluentibus deductus, in manibus Reuerēdis. Patris Generalis iuxta decreta Pontificia fidei professionem emisit; Monitusque fuit Triennale Prouincialatus Ministerium prædictæ electionis virtuti delatum, ad primam Augusti anni currentis 1619. inchoandū esse, cum primi triennij spatium tunc temporis elabatur.

Electio Secretarij Prouinciæ.

In Secretariū Prouinciæ electus est P. Nicolaus d'Ozo per suffragia secreta, & à Reuerendiss. confirmatus fuit.

Electio Custodis & Guardianorum.

Pro Custode electus est Pater Aegidius ab Ora.

Guardianus { Leodiensis, Pater Valentinus Rolandi.
Huenfis, Reuer. P. Magister Ioannes à Riue.
Dyonantensis, P. Baccalaureus Perpetuus Fabius.

Magistri pro Nouitijs & Professis.

P. Franciscus d'Ormal. P. Baccal. Antonius Bonhomius.
P. Baccalaureus Hubertus de Laitre. P. Petrus Tilman.
F. Christianus Blocquerie. F. Petrus Iacobus du Try.

Concionatores Prouinciales.

Reuer. P. Ioannes à Riuo. P. Nicolaus Dozo.
P. Aegidius ab Ora. P. Baccal. Antonius Bonhomius.
P. Nicolaus Hallez. P. Baccal. Hubertus de Laitre.
F. Iacobus du Try. F. Simon Suissius. F. Lambertus Liuerloz.

Promoti ad habitum Religionis pro Clericis.

F. Bonauertura Chabot. F. Antonius de Maigni. F. Franciscus Dufcoeuure

Commissiones.

Lectis Commissionibus Prouinciæ Argenteratensis, placuit Reuerendissimo, & Patribus, vt ea omnia, & singula à Patre Prouinciali huius Prouinciæ executioni demandentur; Specialiter Reuerendiss. P. Generalis cõmittit P. Prouinciali, vt scribat, & cõponat contra nostri temporis Hæreticos, scriptaq; & composita ad Capitulum Generale deferat.

Ordinationes.

Auditis Prouinciæ Argenteratensis ordinationibus, Reuerendissimus, & Patres censuerunt bonum esse illas pro hac Prouincia acceptare, pro vt omni meliori modo respectiue acceptârunt; cum additionibus, & limitationibus: vt infra.

Imagines Patrum ad viuum depictæ interdicuntur omninò, tollanturq; de Cellis, & de Conuentibus.

Possunt Fratres eleemosinas à fidelibus pro Missis, vel etiam in cõfessionibus oblatas recipere, ea tamen lege, vt statim Ministris, seu locis publicis resignare illas teneantur.

In visitada Prouincia Minister Prouincialis cum socijs, vtatur equis conductitijs; conductionis verò merces à Conuentibus exoluatur, ita vt singuli Conuentus Ministro, & socijs iumenta vsque ad viciniorem Conuentum tradere teneantur; quod etiam in reditu ordinatur, præstandū erit. Ad cæteras verò expensas, ordinatur vt Ministro Prouinciali in singulis annis à Conuentu Leodiensi viginti floreni, ab Huësi quindecim, à Dionantensi quindecim suppeditetur, de quibus postea Min. Prouincialis in congregationibus, & capitulis rationem reddere teneatur.

Ad excipiendas litteras Reuerendissimi deputatur Conuentus Leodiensis, in quo etiam Archiuum Prouinciale instituitur, ibique Magistralis liber Prouinciæ asseruetur.

Decreta.

Lecta itidem fuerê Decreta quæ habetur in Actis Argentoratensibus, quæ Reuerendiss. & Patribus pro hac Prouincia placuerût, & ea debere seruari decreuerunt, cum additiõibus, & limitationibus, vt infra.

Admissum & receptum fuit à Reuerendiss. & Patribus nomine totius prouinciæ, sanctum vitæ cõmunis institutum iuxta Decreta Sacri Con. Trid. & Pontificias sanctiones; quod si aliquis Guardianus in dandis necessarijs familiæ iniustus fuerit, ad libitum Ministri prouincialis officio priuari possit.

Declarationes.

Declarata, & determinata in Prouincia Argentoratensi, applicari posse & debere huic prouinciæ censuerunt Reuerendiss. & Patres cū limitatione tamen, vt in eligendis discretis Fratribus Laici, nec vocem actiuam, nec passiuam habere possint.

Declaratur amplius patrem prouincialem singulis annis congregationem Capitularem aduocare, in qua nouæ Guardianorū electiones fiant, Guardianique, qui benè in officio se gesserint, confirmari possint, sin minus alij aptiores in Domino eligantur.

Pro Conuentu Leodiensi.

Authoritate Reuerendiss. P. Generalis in Cõuentu Leodiensi gymnasium Logicæ & Philosophicæ facultatis instituitur, cuius Lector nomine Regentis gaudere, & appellari debeat; in eodem etiam Conuentu habeatur Professorium iuxta ordinationem specialem à Reuerendiss. in visitatione ipsiusmet Conuentus editam.

In Conuentu Dionantensi.

In Conuentu Dionantensi Nouitiatus instituitur, Nouitijque omnes, tam Laici, quam Clerici hic collocentur, quod si Minister prouincialis contra facere præsumpserit, in poenam priuationis officij incurrat. In cæteris verò circa Professos, Nouitios, & oblatos seruentur ea, quæ in Actis Argentoratensibus nuper impressis habentur.

De certo in singulis Conuentibus Fratrum numero.

Ad præscriptum Sanctissimi Domini nostri Pauli v. omnibus maturè per patres ad id deputatos consideratis statuitur, vt in Conuentibus huius prouinciæ, tot Fratres habeantur, quot religiosè alij, & sustentari possunt. videlicet: In Conuentu Leodiensi 25. Huensi 14. Dionantensi 13.

Circa ordinem præcedentiæ inter Fratres seruandum Decreta Capituli Generalis super hoc facta seruentur, quæ in Actis Argentoratensibus sunt impressa.

DE MONIALIBVS.

In Monialium *Virgimine* videat P. Prouincialis Acta Prouinciæ Argentoratensis, in quibus sanctiones etiam piarum constitutionū sunt descriptæ, & ad earū præscriptū oīa corrigere, & cōponere studeat.

Nomina Conuentus, & numerus Monialium huius Prouinciæ.

Leodij Conuentus Clarissarum S. claræ, numerus Moniajiam 35.
Tudini Conuentus Grisearum S. Elizabethæ 20.

Postremò quoniam superius de Actis Argentoratensis Prouinciæ sapius mentio facta, moniti sint Fratres ad euitandas impressiōis impensas, eorum Commissiones, Ordinationes, Decreta, Declarationes, &c. vt superius dictum est, lecta fuisse, & respectiue placuisse Patribus qui statuerunt hæc quoque imprimi, impressis acta prædicta adiungi, quorum exemplaria apud P. Prouincialem ad id afferuantur.]

Suffragia Capituli Prouincialis Leodiensis, Reuerendis.

Patris Generalis iussu propofita.

P ro Sanctissimo Dño nostro Paulo v.	Missa tres.
Pro Inuictissimo Imperatore nostro Matthia	Missa duæ.
Pro Illust. & Reuerēdis. D. Cardinali Burghesio	Missa vna.
Pro Illust. & Reuerend. D. Card. Lante Ord. Protectore	Missa vna.
Pro Illust. & Reuerēdis. D. Card. Millino Ord. V. Protect.	Missa vna.
Pro Illust. & Reuerēdis. D. card. de Asculo	Missa vna.
Pro toto Illustrissimorū & Reuerēd. DD. card. Collegio	Missa duæ.
Pro Reuerēdis. & Sereniss. D. Principe Leodiensis, &c.	Missa vna.
Pro hac Nobiliss. Dionātenſi Ciuit. eiusq; Illust. Official.	Missa vna.
Pro Reuerēdis. Patre Generali cum tota Religione	Missa duæ.
Pro adm. Reuer. P. Prouinciali cum tota Prouincia	Missa vna.
Pro Benefactoribus viuis atq; defunctis	Missa duæ.

Ad supradicta suffragia persoluenda teneantur omnes fratres Sacerdotes, qui verò non sunt Sacerdotes, totidem coronam recitēt Beatissimæ Matris Dei.

Guardiani omnes prædictorum suffragiorum exemplar describere iubentur, curentque omnino, vt à Fratribus illa persoluantur.

Omnia & singula in his Comitij Leodiensis Prouinciæ statuta, rata & firma habeantur, ea tamen lege, vt quæ Actis Capituli Gene. nuper Romæ celebrati visa fuerunt aduersari, irrita & nullius valoris esse censeantur. In quorum fidem, &c. Dionanti 4. Februrij.

F. Iacobus Bagnacaballensis Minist. Generalis.

F. Ioannes Foelix à Brixia à secretis.

